Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 489
Quelle:
Copyright:

quibusdam Typographis Bibliorum Editionibus adjectos fuiſſe notum eſt.

II. *fol.* 68. manu Sec. XIV. ſequuntur *Caſtigationes* et *Variae Lectiones S. Bibliorum*, ordine Librorum Vtriusque Teſtamenti, ex hebraico et graeco Textu atque antiquioribus Interpretibus collectae. Prooemium incipit: *Litterarum ſacrarum latino interprete beato jeronimo in epiſtola ad Suniam et fretellam fratres de greci correctione pſalterii atteſtante: ſicut nouo teſtamento ſi quando apud latinos queſtio oritur uel inter exemplaria varietas eſt, recurrimus ad fontem greci ſermonis* &c. Methodum Autoris habe in principio Geneſeos: *Geneſis 1. ca. a.* (antiqui Interpr.) *terra autem erat inanis et uacua. et tenebre* (Vulg. erant) *ſuper faciem abyſſi et ſpiritus dei ferebatur. Item a. et diuiſit deus* (Vulg. omitt.) *lucem a tenebris. hebreus et antiquiores et grecus habent deus* &c. Ultima Apocalypſeos: *Item f. et ſpiritus et ſponſa. grecus. anti* (qui) *habent. Infra et qui uult. Infra conteſtor enim ego. anti habent. Item. c. plagas ſcriptas. anti. in libro iſto. Infra partem eius de libro uite.*

Iſte liber eſt ſcriptus qui ſcripſit ſit benedictus. amen.

Autorem nullo veſtigio deprehendi, qui certe aevo ſuo ſacras Literas felicius excoluit, quam tot συγχρονοι Allegoriarum Venatores, quibus nulla hebraeae, graecaeque eruditionis adipiſcendae cura dicam? an opportunitas fuit.

CLXXIX. VD. 6.

216 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 353. f. currente calamo exaratus per duas columnas continet ſequentia: I. Lexicon Biblicum, quod *Mammotrectus*, *Mammetractus*, *Mammotreptus* vulgo audit, quo nomine Autor ipſe ſub finem *Praeloquii* illud adpellat a *mamma*, ſi quid divino, *trabenda;* de *Parvulis* enim loquitur. Eſt vero is *Johannes Marcheſinus Regio Lepidi* ortus O. M. quem alii circa 1450. *Waddingus* circa 1300. claruiſſe volunt, id, quod ſimilius vero videtur, ut dixi in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 79. Opus ab editione principe *Moguntina* anni 1470. f. ſaepenumero usque ad barbariei profligationem typis commiſſum notius eſt, quam ut deſcriptione egeat. Illud obſervo, expoſitionem *Pſalterii* in *Cod.* noſtro ſuo loco inter Partes V. T. haberi, cum in *edit. ſuprac.* poſt N. T. occurrat. Prolegomena item illa Biblica *de Menſibus Hebraeorum, de Feſtivitatibus legalibus, de veſtibus Sacerdotalibus* &c. quae in *edit.* extremum locum occupant, noſtro in *Cod.* ſtatim Bibliis ſubjecta eſſe, denique deſiderari in eo *Tractatum de Accentibus* et *Declarationem Regulae S. Franciſci.*